

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS
TEL:02/734 55 42

EXEMPLO ET AEMULATIONE

necnon perseverantiā...

I. De Conventu Romano

Biduo dierum 31ⁱ m. Oct. et 1ⁱ m. Nov., Romae habitus est II^{US} Conventus de "Cultu civili linguisque classicis" (I^{US} fuit etiam Romae d. 1-2 Nov. 85). Plus quam quingenti participes convenerunt in amplas lautasque aedes Athenaei Pontifici Salesiani. Romam una cum P. Caeleste Eichenseer iter feci, cum Dominus Lambertus Pignini, domus editoriae ELI moderator, nos ad conventum participandum invitavisset. Qui vir enim ingeniose effecerat ut ibi Latinitas Viva locum haberet bonum: postmeridiano tempore, dum acroases in aula maxima Italiano sermone proferri non desinunt, in minore auditorio, quo tamen continentur 150 sedes, curaverat ut haberentur acroases Latinae.

Quarum ante primam, anxii inter nos interrogabamus quot homines aulam maximam relicturni essent ad nos, Latine loquentes, potius auscultandos. Maximo ergo cum gaudio auditorium omnino refertum conspeximus, cum primam acroasin incohavit Prof. Nicolaus Sallmann. Acroasium programma erat hoc:

Saturni die:

- 16.30 SCHOLA «IOANNES XXIII» - SEMINARIUM ideologicum et culturale: «De Latinitate nostris temporibus»
Introducor: Lambertus PIGNINI - Recinetensis
1. «Quid aetas nostra haurire possit ab auctoribus Latinis»: Nicolaus SALMANN - Studiorum Universitas Moguntina (*vulgo* Mainz)
 2. «Quomodo institutio linguae Latinae necessaria sit discipulis nostrorum temporum»: Claudius PIGA - Machinator Mediolanensis
 3. «Quid dicendum de amota institutione linguae Latinae a scholis mediis Italiae»: Ioannes C. ROSSI - Architectus Mediolanensis
 4. «Oportet iterum vigeat et floreat in Europa studium linguae Latinae»: Gaius LICOPPE - Radiologus Bruellensis

* Huius acroasis textus divulgatur p. 13 Dominico die:

- 16.30 SCHOLA «IOANNES XXIII» - SEMINARIUM methodologicum: «De novis experimentis in docenda lingua Latina»
Introducor: Lambertus PIGNINI - Recinetensis
1. «Quomodo et quorsum lingua Latina sit docenda et discenda»: Caelestis EICHENSEER - Studiorum Universitas Saraviensis (*vulgo* Saarbrücken)
 2. «Quomodo magistri se idoneos reddant ad linguam Latinam docendam Latine»: Guido ANGELINO - Praeses Alexandrinus
 3. «De Latinitate viva hodierna»: Suitbertus SIEDEL - Studiorum Universitas Salisburgensis (*vulgo* Salzburg)
 4. «Exempla institutionis renovatae linguae Latinae docendae»: Valafridus STROH - Studiorum Universitas Monacensis (*vulgo* München)



Aulae maximae aspectus

Unus ex oratoribus, Prof. Valahfridus Stroh Monacensis, venire non potuit; Marius Alexa eius verba palam legit.

Praeterea, cum multi Latinitatis Vivae fautores congregati essent, id quod raro fit, D. Lambertus Pignini conventiculum instituere voluit, ubi de rebus agendis ad rem nostram promovendam disputaretur; ipse indicem quaestionum tractandarum praeparaverat:

1. Quaenam sunt lucra linguae Latinae vivae et si sunt quaenam sunt viae ad renovandam methodologiam traditam linguae Latinae in scholis?
2. Quaenam viae sunt ineundae ad diffundendum extra scholam studium et amorem erga linguam Latinam?
3. Praesertim de instituendis circulis Latinis in variis nationibus Europae.
4. Praesertim etiam de vulgandis et frequentioribus reddendis feriis et seminariis Latinis.
5. Quomodo opinio publica sit excitanda ad cognoscendum quaenam sint virtus et pondus linguae Latinae in scholis et generatim in cultura Europaea.
6. Oportet constituatur comitatus Europaeus linguae Latinae, qui regat omnia incepta quae spectent ad diffusionem linguae Latinae.

Bis, Saturni et Dominico die, antemeridiano tempore habitus est conventiculum, cui praecipue interfuerunt M. Alexa, V. Angelino, Barbalace, V. Ciarrochi, C. Eichenseer, M. Hoffmann, G. Licoppe, R. Maier, P. Marongiu, J.M. Mir, C. Piga, L. Pignini, C. Rossi, N. Sallmann, S. Siedl.

Primae quaestioni, "quae essent lucra vel emolumenta linguae Latinae vivae", respondi, mutatis Europae condicionibus, primum maximumque emolumentum esse facultatem communicandi inter diversos Europaeos. De hoc argumento Europaeo, quamvis plane consentirent praesentes, Nicolaus Sallmann dixit id satis non esse magistris, quibus plerumque videtur sive utopicum sive nimis politicum; cum maximi momenti esset semen Latinitatis in scholis gymnasiisque semper spargere, censebat magistros nobis esse conciliandos; omnia enim pendere a magistrorum voluntate, quibus proponenda sunt argumenta didactica; eis inter alia suadendum esse usum linguae meliorem iucundiorumque facere institutionem.

Quibus dictis, nonnulli praesentes magistri dixerunt suos collegas plerumque sive nolle Latine loqui sive programme imposito aut tempore deficienti impediri ne in schola Latinitatem vivam exercerent.

P.C. Eichenseer sublunxit magistros arguere se in Universitate numquam praeparatos esse ad Latinitatem vivam. Attamen dixit, cum haberent optimam notitiam grammaticalem, eis plus quam ceteris facile esse notiones suas in usum vocare; ad benevolentes iuvandos creata esse seminaria Latina. Magistris nos non suadere regulas in scholis impositas subvertere, sed solum per nonnullas minutas inter unamquamque lectionem efficere ut discipuli perciperent linguam Latinam esse veram linguam, sonoram, musicam, locupletem et habilem.

Barbalace, qui Romae linguam Latinam methodo activa docet, dolebat quod plerique magistri sunt morosissimi et nolunt suas consuetudines mutare.

D. Lambertus Pignini admonuit duas esse vias ad Latinitatem ampliandam, primam scholarem, de qua iam locutum est, alteram extrascholarem, de qua loquendum erat.

C. Rossi dixit iam exstare Seminaria Latina Eichenseeriana et Ferae Latinae Sultbertianae et multum iuvare hos duos fontes adire necnon magnetophonis hos exemplares magistros iterum iterumque auscultare.

Notavit P.C. Eichenseer sescentos circiter homines, qui adhuc quodam seminario interfuerunt, parum esse ad multitudinem docendorum.

Suadente D. Lamberto Pignini, omnes consenserunt quam plurimos circulos Latinos condendos esse ubique Europae.

Postea multum disputatum est de methodis adhibendis. V. Angelino exposuit quomodo magistros adiuvere vellet ut Latine docere scirent.

Conventiculum noster alteram sessionem habuit Dominico die. Tunc D. Lambertus Pignini ad proposita practica venire volebat. Imprimis proposui ut sine mora magistri, quibus placet linguae Latinae institutio viva atque actiosa, consociarentur in singulis nationibus; inde postea confoederatio Europaea magistrorum institui posset. Quod propositum magno cum plausu a participibus acceptum est. Nicolaus Sallmann monuit hanc confoederationem solis magistris reservandam esse, cum tantum pertineret ad institutionem scholarem. Cuius confoederationis proposita esse:

- ne singuli magistri, qui actuosius docere cuperent, se solos et singulares sentirent;
- ne iidem, in docentium societatibus conventibusque, diutius spernerentur et comprimerentur;
- ut excogitaretur et divulgaretur actiosa ratio docendi, iuvante consilio professorum academicorum;
- ut secundum hanc rationem pararentur methodi in scholis adhibendae;
- ut tandem fama ferretur linguam Latinam modo nostris temporibus aptato doceri posse.

Si res satis celeriter progrediuntur, D. Lambertus Pignini in animo habet magistrorum conventum iam proximo anno tempore Paschali instituere in urbe Verona, ubi aediles sibi favent et optimas condiciones praebere poterunt.

Quod pertinet ad viam extrascholarem, D. Lambertus Pignini concludit numerum circulorum Latinorum in singulis nationibus augendum esse. Nonnulli inter Italos praesentes promiserunt circulum Latinum in urbe sua condere. Consilium generale ad Latinitatem vivam in Europa promovendam constitutum est, cuius primi participes sunt Clemens Desessard (Francogallia), Gaius Licoppe (Belgica), Thomas Pekkanen (Scandinavia), Carolus Rossi (Italia) et Nicolaus Sallmann (Germania occidentalis).

Ad summam angustior pars Conventus Romani mihi videtur fuisse utilisissima: optimum semen sparsum est; nunc operam demus oportet, ne impar sit messis...

II. De Conventu Argentoratensi (sive Strateburgensi)

Paucissimis diebus post Conventum Romanum habebatur Argentorati (sive Strateburgi) Conventus Generalis Francogallorum linguas antiquas docentium (Etats Généraux de la C.N.A.R.E.L.A.) per triduum a Iovis die 5^o m. Nov. in diem 7^{um}.

Primo die, Francisca Deraedt pro Melissa sola interfuit ad relationem faciendam. Conventum inauguravit Odilia Mortier-Waldschmidt, CNARELAE praeses, quae dixit, quamvis in Francogallia numerus augetur discipulorum, qui linguam Latinam discendam eligerent, studia Latina parvi aestimari ad studia mathematica; eo accedit hoc detrimentum, quod linguam Latinam discere habetur ut optimum singularitas et dicitur favere hominum inaequalitati. Quare Odilia Mortier-Waldschmidt firmiter iteravit CNARELAE principia:

- cultura classica omnibus praebenda est, non optimatibus reservanda;
- antiquitas obiective examinanda est;
- oportet institutio non solum ad linguam pertineat sed etiam ad cultum civilem.

Liceat mihi haec principia paucis commentari.

Miror imprimis cur necessarium sit affirmare culturam classicam omnibus praebendam esse. Nonne omnibus patet schola in Francogallia? Sed videtur facultas linguae Latinae discendae non in omnibus scholis praebere et certe non eadem qualitate; quod tamen non pendet a docentibus sed a regentibus.

Antiquitas Graeca et Latina in Europa obiective examinari non potest quia simul et partes et iudices esse non possumus. Iam obiectivum non est incumbere in Antiquitate Graeco-Romana potius quam in Arabica vel Sanscritica vel Sinensi. Pravum consilium sit, et contrarium novis rationibus Europaeis, discipulos separare velle a suis culturalibus originibus.

Sed non omnes oratores eodem modo sentire videntur ac CNARELAE praeses. Nam post eam locutus est Stephanus Trocme, qui argumentum Europaeum vehementer pressit: lingua Latina, dixit, diutissime cultum civilem Europaeum comitata est atque fuit instrumentum communicationis supra linguas vernaculas; quod praecipue meditandum est inter hunc conventum.

Infeliciter res non ita se habuerunt!

Postea diurnarius, nomine Iacobus Cellard, narravit de condicione linguarum antiquarum ante Renascentiam. Claudius Aziza, CNARELAE vicepraeses, narravit quibus gradibus in Francogallia post Renascentiam lingua Francogallica pro Latina substituta esset:

- 1487: primum vocabularium Latino-Francogallicum.
- exeunte XV^o s.: primum Francogallice docetur Monte Pessulano (Montpellier) in Facultate medicinae.
- 1539: edicto (v. Ordonnance de Villers-Cotterets) Franciscus I^{us} usum linguae Latinae prohibet in actis publicis privatisque Provinciae.
- XVII^o s.: Oratorii congregatio imponit usum linguae Francogallicae in suis scholis.
- 1669: Le Laboureur in lucem edit librum c.t.

"Avantages de la langue française sur la langue latine".

- 1675: prima grammatica Latina Francogallice conscripta editur (Père de Condren).
- XVIII^o s.: Iohannes Baptista de la Salle condit collegia, ubi non docetur lingua Latina. Quod exemplum multi secuti sunt.
- 1762: Iesuitae e Francogallia expelluntur; inde disparet usus linguae Latinae.
- 1789: rerum mutatio confirmat finem et Iesuitarum ideologiae et usus linguae Latinae.

Post hanc acroasin, multi sententiam suam protulerunt, inter quos unus dixit causam cur lingua Latina in Francogallia male se haberet esse modum agendi ideologiamque Iesuitarum. Cui viro libenter dixissem si adfuissem, res Latinas abhinc certe meliores fore, cum nunc etiam Iesuitae linguam Latinam respuerent!



In auditorio Palatii Europaei Strateburgensis

Postmeridiano tempore disserendum erat "de coniunctione linguarum antiquarum cum democratia". Tantum aliquid narrabo de acroasi Prof. Andreae Mandouze (Paris IV), ubi inter alia interrogavit "quid si lingua Latina iterum fieret vehiculum nostri cultus civilis?" et ipse respondit hanc ideam, quam irridens appellavit "integritum Latinum", sibi videri esse ineptam. "Sed, ait, exstant Latinitatis vivae fautores!" (multi riserunt assentatores)...

Ad secundum conventus diem venimus, qui Europae dicatus erat. Hac de causa interesse volui, una cum P. Caeleste Eichenseer et Thoma Pekkanen. Cum Strateburgum inter Europae capita numeraretur, conventus participes antemeridiano tempore invitati erant ad conveniendum in maximas modernasque aedes, quae vocantur "Europae palatium". Ibi nos accepit Dominus Vorbeck, natione Bavarus, qui apud Institutorem Rectionem Consilii Europaei curat partem quae spectat ad indagaciones et documenta de paedagogia (chef de la Section Recherche et Documentation pédagogique à la Direction de l'Enseignement du Conseil de l'Europe).

sequitur p. 4 infra

III. De sessione communi Meldis habita

Veneris die 6° m. Nov. hora circiter quinta postmeridiana, P.C. Eichenseer, Sigrides Albert, Francisca Deraedt, Aeliana uxor, Diana filia egoque, duabus autoraedis vecti, per crassissimam nebulam iter fecimus ad amicos nostros Meldenses (Meaux). Per biduum, Saturni et Dominico die, ibi habenda erat sessio circuli Latini Belgici, communis cum sodalibus scholae Sanctae Mariae Andrea Pierucci, Dominico Hazet, Natali Dubus, Ioeli Joubert atque nonnullis aliis amicis, inter quos Andreas Bergère et Clemens Desessard. Nam una cum Clemente ad nos visitandos invitaveram



Manus televisionis Francogallicae A2 in schola Sanctae Mariae (a fronte: Petrus Champetier; a tergo: technicus quidam)

sequitur p. 3

Qui vir imprimis nobis monstravit maximam exedram, ubi habentur sessiones Parlamentum Europaei. Doluit quod maior pars sedum vacua maneret inter sessiones. "Ut patet, ait, res politicae potius extra quam intra Parlamentum tractantur."

Postea, Dominus Vorbeck gregem nostrum in magnum commodissimumque auditorium duxit, ubi nos per horam allocutus est. Maxime mirandum est hunc officialem Europaeum multo plus linguae Latinae favere quam plerosque docentium! Dixit, inter alia, maximum Europae problema esse difficultatem communicationis. Oportet Europaei complures linguas addiscant ut latius inter se communicare possint. Oportet etiam lingua Latina doceatur ad communicandum; mendae minus sunt timendae quam impediri ne communicemus. Lingua Latina olim fuit Europaeorum "lingua franca"; optandum est ut iterum fiat!

Dixit etiam linguas Latnam Graecamque colendas esse cum essent commune Europaeorum patrimonium. Moderatores Consilii Europaei post mala experimenta commendant, ut discipulis iterum praebeatur bona cultura generalis.

Monuit etiam in Austria, in Germania atque in Helvetia linguam Latinam adhuc magni momenti esse atque non haberi ut signum cuiusdam mentis aristocraticae reiciendae.

Inde patet quam utile sit interdum extra suas fines exiguas prospicere!

Post Dominum Vorbeck, locutus est Prof. Petrus Wulfing, Coloniensis, qui rettulit de hodiernis conditionibus institutionis linguarum

diurnarium televisionis Francogallicae A2, cui nomen Petrus Champetier, qui emissionem comparare cupiebat de Latinitate viva.

Saturni die, per tres horas postmeridiano tempore, hic diurnarius nonnullos nostrum interrogavit de Motu Latinitatis Vivae, de actuositatibus nostris, de methodo Assimil (auctore Clemente Desessard), de Titini facinoribus, c. t. Insula Nigra, mox divulgandis, de "Rudentis" pellicula etc. Quae omnia technici camera magnetoscopica receperunt, quamquam nos compluries interruperunt cuiusdam instrumentorum defectus causa. Quam rem nuntiaverunt se undis emissuros esse Saturni die 14° m. Nov. hora prima et dimidia. Ei qui hanc emissionem spectaverunt valde decepti sunt, cum nihil monstratum esset rerum Meldis receptorum. Telephonice interrogatus, diurnarius dixit propter instrumentorum defectum nihil usui aptum Meldis receptum esse!

Restat tamen sessionem Meldensem iucundissimam necnon utilem fuisse. Diu recordabimur exquisitam amicorum nostrorum hospitalitatem...

Gaius LICOPPE

N.B. De ista emissionem Ioelis Joubert ad nos haec verissima verba scripsit: "SVBEEV. Vidistisne televisificam emissionem? Miserabilis, deridenda, omnino noxia fuit! Natalis cottidie diurnario telephonare conatur, sed frustra. Nemo respondet... Novistisne aliquid novi?"

antiquarum in diversis Europae regionibus. Cum in fine dicebat se nihil scire de conditionibus Russicis, Prof. Thomas Pekkanen de hac re aliquid rettulit... Latine! Obstupefacti participes, oculis interrogantes, vicinos adspiciebant...

Postmeridiano tempore circa mensam rotundam sedere debebant nonnulli invitati, qui coram ceteris participibus disputarent de "Futuro linguarum antiquarum in Europa". Intercedentibus nonnulli CNARELAE moderatoribus, qui Latinitati vivae favent, D^r P.C. Eichenseer et Prof. Thomas Pekkanen ad mensam rotundam participandam invitati erant.

Magna fuit nostra deceptio, cum comperissemus rem a CNARELAE regentibus mutatam esse. Nulla fuit mensa rotunda, nulla disputatio. Tantum duodecim circiter homines e diversis nationibus oriundi invitati sunt, sua quisque vice et maximum per decem minutas, ad loquendum de conditionibus institutionis in sua regione. Auditoribus non licebat interrogare. Inter invitatos duo Latine locuti sunt, P.C. Eichenseer et Th. Pekkanen.

Patricius Bougy et Iohannes-Iacobus Bertrand, praesides suae quisque societatis regionalis, valde irati erant et vehementer postea increpuerunt CNARELAE rectores propter hanc fraudem...

Nobis in animo non erat tertio die interesse. Comperieramus, quamvis hostes Latinitatis vivae CNARELAE habenas tenerent, Latinitatem vivam aculeum totius conventus fuisse. Quod hactenus iam satis esse putabatur...

INTER EXIMIOS LATINITATIS VIVAE FAUTORES :

IOSEPHUS-MARIA MIR

Lectores bene noverunt Iosephum-Mariam Mir, cum in Melissa 19^a nobis multa de vita sua iam narraverit. Sed nondum locutus erat de commentariis Latinis, PALAESTRA LATINA inscriptis, quorum praecipuus scriptor fuit. Ergo, de illis commentariis hodie pro nobis memorat.

Quo anno Palaestra Latina prodit?

Mense Octobri anno 1930^o primum prodit, Cervariae: ubi anno superiore Candidatus Latinus desitus est edi.

Qua de causa facta est haec nominis et rei mutatio?

Primum, quia adiuncta mutata sunt: commentarius ille "internus" fuerat -id est ad collegia nostra praesertim mittebatur-; nunc autem externus et universalis omnibus linguae Latinae studiosis, peritis, alumnis proponebatur legendus; deinde, vestem illam "candidam puerorum" demittebat, ampliora munera et studia ambiebat, ac pugnax et luctator in arenam Palaestrita procedebat, omnesque, ut in ea "Palaestra" se exercerent invitabat.

Adducebantur aliae causae?

In prima pagina, in inscriptione, annus bis millesimus a nativitate Vergilii memoratur, et primus hic fasciculus Pio Papae XI dicitur.

Ecquis fuit primarius Palaestrae Latinae conditor et fautor?

Ipse qui fuerat Candidati Latini princeps moderator, ut supra diximus, P. Emmanuel Jové.

Qui convocantur?

Invitantur doctores qui in Academiis litteras humanas et Latinas tradunt; professores Lyceorum, magistri seminariorum ecclesiasticorum; adulescentes et pueri convocantur omnes; Palaestra omnibus patet "quibus lingua Latina cordi est", et omnibus illud Apostoli proponitur praemium assequendum: Sic currite ut comprehendatis.

Quae rerum materiae proponuntur tractandae?

Prostat articulus "penuarius" -in quo, quasi ex secreto "penu", quaestio singularis exprimitur et investigatur; insequuntur Adnotationes rhetoricae vel Cursus gymnasticus, in quo locus vel textus auctoris classici ex legibus grammaticae et stili Latini explicatur; instituitur Commercium epistulare inter doctores et lectores universos: inquiruntur, disputantur, exsolvuntur quaestiones; Grammatica seu Grammaticalia: in his res, quae ad grammaticam propius spectant, diligentius attinguntur et amplificantur; colloquia inter doctores et praesertim cum alumnis instituuntur; prodeunt poetarum carmina; acta diurna nomine Per orbem evulgantur; legentium quaestiunculae in Responsorio proponuntur eisque breviter respondetur; Palaestricus scripta alumnorum acri iudicio ponderat, laudat, emendat; Exercitationes conficiendae alumnis dantur; libri in Bibliotheca recensentur.

Neque alia sunt?

Iam ab initio lucubratio maximi momenti edi

coepta est cui nomen Nova et Vetera: in qua, figuris apte delineatis et conformatis et in primis totius rei explicatione, animi adulescentium magnopere concitabantur in studium linguae Latinae nova ratione novoque vitae vigore nascentis.

Quae est sententia tua de his novis verbis quae tunc proposita sunt, cum hunc linguae Latinae campum de rebus hodiernis tunc vix quisquam excolere temptavisset?

Nova vocabula acri iudicio, ponderata rerum consideratione, intima linguae Latinae cognitione componuntur et lectoribus proponuntur. Nam quae nostra aetate etiam nunc interdum disputantur, ibi sine disputatione et controversia ad rectam lineam plerumque exacta referuntur; in novis verbis de radiophono leges:

audiophonum
audiometrum
auriculare
amplificatoria
detectorium
microphonum
diapason
stethoscopium
photophonum
grammophonum
microphonum
radium
radiophonum
radiolum
receptorium
resonatorium
telephonum
transmissorium
auricularia (Pal. Lat., 3 (1930)41).

et in instrumentis radiophoni haec proferuntur (Pal. Lat., 3 (1932) 57):

megalophonum
quadrum
antenna
rheophorum
rectificatorium
lampas
contactus
vas (electricum)
cassis, idis
auriculare
cumulatorium
radiophonum
filum
terrae captus
globulus
tympanum

Suntne alia quae memoria recolentur?

Emmanuel Jové in primariis professoribus computandus est qui pronuntiationem Latinam - quae nunc "restituta" dicitur- quam diligentissime investigavit et tractavit, sedecim fasciculis Palaestra Latinae rem accurate illustravit.

Restant alia?

Commemoratio bis millesima Horatii celebrata est, et lucubrationes primariae nobilium scriptorum per annum 1935 et 1936 editae sunt.

Proferas mihi, quaeso, aliquod exemplum in quo Joveus res hodiernas brevi et simplici ratione explicet.

En tibi simplicissima itineris faciendi narratio novis verbis Latinis ubique distincta et illustrata:

"NOVA ET VETERA.

Narratiuncula.- Iter mihi est faciendum ex ignoto quodam oppidulo ad illius terrae caput. *Horarium* (sive *itinerarium*) capio, ut videam, qua hora insequente die proficisci queam. Ecce varia per diem *tramina* oppidulum nostrum praetereunt: *Postale* (sive *tabellarium*) tramen duobus minutis post horam quartam, *rapidum* puncto horae septimae, post et *velox* et *mixtum*; *expressum* nullum ibi sistit. Iam vero quodnam tramen ascendam? *Rapidum* malo. Omnibus igitur rebus ad iter paratis proximo die ad *stationem* venio statimque ad *fenestellam tesserariam* me confero. Pecunia rite numerata, tertiae classis *tesseram* accipio. Cum *sarcinarum expeditore*, qui, *syngrapha* data, *arcas* et alia onera gravia conlocanda curat in *sarcinario* curru, nihil mihi est negotii; nam praeter *vidulum* sive manualetta *cistellam* nihil fero. In *oeco* *vectores* quosdam invenio exspectantes et se calefacientes - iam enim mordet frigus - prope *fornacem* (sive *camtrum*), quae in medio *oeco* ardet; caret enim illa statio centrali quadam calefactione. Appropinquat tempus ineundae *crepidinis* (aut *aulae*) unde conscenditur tramen. Iam *perforator* carceres aperit. Subinde in longinquum prospicio, nil autem adhuc video nisi *fabros ferrivarios* prope *stationem ferreas* (sc. *virgas*) *configentes* in *transstris*. Suo tempore apparet tramen, quod *declinator* facile dirigit ad *orbitam* nobis propiorem. Vi *electrica* movetur, non *vapore*; nihil igitur *fumi* est in *machina locomotrici*. *Traminis* *ductor* *constringit* *frena*, *tramen* *sistit*, *exeunt* *vectores* *advenientes*, *proficiscentes* *conscendunt* *currus* et *commodissimum* *sibi* *quisque* *elegit* *loculum*. Plerique ad *fenestram* *sedere* *malunt*. Quae omnia *celeriter* *fieri* *oportet*. Iam *denuo* *rotarum* *orbilla* *se* *vertere* *incipiunt* *super* *orbitam*, *dum* *vectores* *dexteris* *ad* *amicos* *porrigunt* *palmisque* *eis* *valedicunt*. (Emmanuel Jové, C.M.F.)"

Quid tandem accidit Patri Joveo eo ipso anno quo mense Februario anno 1936 haec scripserat (Pal. Lat., num. 50), et legentibus "Palaestram Latinam" ad proximum mensem Octobrem vale dicebat?

His verbis omnes salutabat: "Lectoribus nostris usque ad mensem Octobrem humanissime vale dicimus omnia fausta et secunda per aestivas ferias eis imo pectore exoptantes"; sed qui haec scripserat, paulo post, quinque exactis mensibus, in odium religionis christianae et sacerdotii nefarie interfectus est.

Quo modo haec acciderunt? O rem adversam et miram! Haec nobis minute singula enarra.

Brevissime contraham omnia. P. Emmanuel Jové magna et praeclara agitabat mente. In his lexicon Latinum-Hispanum cum sodalibus parabat. Ut autem maxima animi contentione in rem vacaret in Villulam Claretianam - quae a Cervaria quinque chiliometris distat - confugerat. Sed illis diebus permutatio rerum civilium apud Hispanos exorta est. Missionarii Claretiani qui, ut supra diximus, in Universitate Cervariensi morabantur, horae spatio ex ea decedere iussi sunt et expulsi. Multa experiuntur adversa; errant per proximas urbes,

transeunt per campos, ad montes confugiunt et ad Villulam Claretianam tandem adveniunt.

Quid inde? Prosequere.

Milites populares - militiani dicuntur - in Villulam irrumpunt; suam esse dicunt - ipsi enim sunt "principes populi"; nihil ex ea auferendum; nemo, illis insciis, exeat ab ea. Haec omnia coram Joveo nostro referunt milites populares.

Quod deinde sumitur consilium?

Primarii qui exstant Claretiani de re adversa deliberant: ex Villa exeundum est. Fit omnium adolescentium congregatio; effunduntur preces; amplexa dantur, inter se vale dicunt: "Fortasse in caelum!" - Qui adstant in coetus seu turmas dividuntur. P. Jové sibi quattuordecim adolescentes assumit ducendos - qui curriculum theologiae nondum expleverant et tertium et vicesimum aetatis annum, maximum, attigerant. Domus eius paterna haud multum distat; apud familiares et pagos vicinos sodales constituere putat. Hora secunda postmeridiana die 24 in Vallem Bonam pedibus se convertunt. Fratres ego ipse, qui adsum et haec scribo, extremum amplexor! Illi autem vicum Rocafort adveniunt; aliquantulum ibi consistunt; Joveus excipitur ab amicis; corpus lavat, pedum ulcera curat, seque deinde militibus popularibus offert qui sacerdotem, adolescentium ducem, magnis vocibus expostulant - qui tamen, si vellet, postica porta aufugere poterat; sed ipse de vita adolescentium conscius, fidem constanti animo servat, ad milites venit, amicis firma ac serena voce dicit: "Eos relinquere non possum".

Quid deinde facti?

Se cum sodalibus consociat: qui benevolentiam et fidelitatem magistri gratis animis comprobant. Tunc milites omnia sagaciter investigant, vestimenta saeve inspiciunt, convicia effutiant, imaginem Christi cruci fixi, quam secum gestabat, pedibus conculcare iubent; qui, "Prius moriar", respondet; at illi forti ac valido ictu sacram imaginem osculandam dant; labra et dentes sanguine manant.

Extrema fortasse narranda exstant?

Ita profecto: die sexto et vicesimo ad meridiem Ilerdam omnes adolescentes cum Joveo nostro convehuntur. Populares milites inter se contendunt: "Ante tribunal populi sistant oportet", nonnulli clamant; "Nequaquam", alii: "Nimia insunt negotia apud illos praesides Ilerditanos. In coemeterium procedite". Quod factum. Ibi ex autocarro descendere iubentur; bini ad parietem componuntur; singuli interrogantur: "Visne et tu pro Deo mori?". "Ita prorsus, pro Deo mori cupio", respondent singuli. Qua omnium confirmatione fidei in Deum et Christum Dominum Joveus cum quattuordecim adolescentibus in coemeterio Ilerdensi mortiferis globulis confodiuntur. Ille autem, qui apud homines ex litteris Latinis praeclarus agnoscitur, nobiliore signo et nomine in Patria conscribitur, atque a Matre Ecclesia cum sociis, pro certo, bene merita martyris corona propediem - id exspectamus - ornabitur.

Cum Patre Joveo "Palaestra Latina" quoque moritur?

Nulla modo; sed per quadraginta annos litteras Latinas amplius illustrabit. Alio die haec leges; nunc paululum animo requiesce, et plurimum vale!

SUCCURRISTIS O SODALES !

In Belgio haud minus quam in Gallia notos esse opinor eos libros nebulatos, ab Uderzo depictos et a Goscinny narratos, in quibus Obelix et Asterix Galli partes agunt praecipuas et hilares.

Itaque per illos, cum "Melissa" commentarius soleat esse hilaris facetusque, ibi pugnam nostram de monumento in Latinitatis honorem erigendo referre mihi placuit.

Obelix et Asterix mei vero non iam suum "Insaniunt isti Romani" (quod solent) dicitant, sed ei sententiae hanc substituerunt novam: "Insaniunt isti Beneharnenses" (Beneharnum enim ea regio nominatur cuius Palum urbs praecipua est):

Nam re vera insaniebant cives mei quod linguam Latinam non honorabant, immo eam ignorare videbantur.

Vos autem, cari lectores et sodales, quorum auxilium petieram ut ab urbis magistro impetremus monumentum ad istam oblivionem reparandam, benevolentissime succurristis atque illae cursuales chartulae, quas mihi misistis (sic inscriptas "Ego quoque monumentum in Latinitatis honorem erigi velim") tam efficaces fuerunt quam ea potio magica quam Panoramix druida concoquere solet: nam vires mihi dederunt quasi magicas ut eis freta urbis magistrum iterum aggrederer. Etenim per eas meae vires per CCCXXVII multiplicatae sunt!

Inter has chartulas CCCXXVII, quae undique terrarum pervenerunt, eae, quae e Belgio missae sunt, celerrime omnium advenerunt, de qua diligentia "Melissae" et Gaio Licoppe, qui petitionem meam statim divulgaverat, maximas gratias ago, vobisque, lectores, qui me sic adiuvistis. Belgicam autem catervam ad Aquitanorum defensionem properare iustissimum erat: nam et nos et vos Galli sumus! Et quia Gallo-Romani sumus utriusque, iustissimum erat nos et vos Latinitatis cultum honorare velle.

Magni momenti quoque videtur esse quod inter chartularum missores aliquot discipuli fuerunt, in Sancti Ioannis Collegio Hoegaardensi versantes ("vernacula lingua "Sint Janscollege"), ab optimis magistris benigne moniti: qui pueri magnam spem mihi dant, quia sic perspicuum est, cum tirones veteranorum ceterorumque legionariorum pugnae se libenter consociant, Latinitatis promotorum exercitum militibus futuris strenuis animosisque non cariturum.

Ceterum non solum e reliqua Europa permulti adulti puerique scripserunt, sed etiam aliqui ex America et ex Africa et ex Asia.

Primum vestrarum chartularum prodigium magicaque vis, ante id tempus ipsum quo eas ad pugnam nostram de monumento erigendo adhiberem, iam fuit cognitio et amicitia nova, quae cum haud paucis sic inita est: nam benignis chartularum missoribus equidem exemplar scholastici commentarioli "M.A.S." a discipulis meis scripti quasi ad gratias agendas misi... quantum saltem potui (id est si cursualis missoris inscriptio integra scripta erat... atque videlicet donec aliquod "M.A.S." exemplar mihi supererat!) atque hi invicem amicaliter rescripserunt longiores epistulas.

Iam vero alia prodigia videamus, quomodo hae chartulae ad pugnam nostram adhibitae sint:



chartulis enim plerisque acceptis, cum iam earum fluxus perfectus esse videretur, hanc potionem magicam primum in diurnaria quadam experta sum, quae diurnaria in Aquitanis actis diurnis "Sud-Ouest" inscriptis res dignas lectu referre solet; quae potione vix sorpta vel chartulis vix adspectis nobis statim favit et pulcherrimam consilii nostri defensionem publicavit. Dein a magistro urbis conventum postulavi, ut ei omnibus documentis ostensis suaderem ut illum lapidem (quem maiores nostri "menhir" forsitan dixissent!) in Latinitatis honorem nobis erigeret. Atque mecum, dum municipales sedes peto, cogitabam robustum Obelgem haud inutilem mihi futurum fuisse qui arculam tot papyris impletam pro me portaret!

Vere magice effecerunt chartulae vestrae et de urbis magistro: nam ubi primum in eius tablinum intravi, nulla aggressionem defensionemve opus mihi fuit, sed statim ille mihi benevolenter dixit consilium nostrum optimum sibi videri et se velle hoc sequi. Inter nos igitur convenit ut monumentum in Latinitatis honorem Pali in horto publico quodam (qui locus vere celebris solet esse) digne aedificaretur... anno MCMLXXXVIII°, quia etiam potio magica nihil potest contra legem qua mense solum Decembri quotannis publice decernitur qui sumptus et quanti in urbe anno proximo fiant. Iam vero hoc anno MCMLXXXVII° se iussurum pollicitus est artificem aliqua delineamenta parare et proponere. Sic foedus nostrum ictum est, sic pacem amicitiamque concillavimus ego (quae quasi legata vestra mihi videor) et magister urbis.

Nunc foederis effectum vigilanter exspecto et iterum vobis cum omnibus tum praecipue Gaio Licoppe gratias quam maximas ago... atque vos hortor ut anno MCMLXXXVIII° Palum visatis ut vestris oculis sentire possitis quomodo pugna nostra victa sit... Quod saltem in votis, nisi quae improvisa Nemesis, irascens quod pellem ursi nondum occisi (quod proverbio dicunt) iam vendam, ex improvise morae sit!

UTRUM TU LENO CUM MALO
LUBENTIUS QUIESCIS AN SIC
SINE MALO, SI COPIAST?



EGO QUAE TU LOQUERE FLOCCI
NON FACIO, SENEX. MEAS QUIDEM
TE INVITO ET VENERE ET SUMMO
IOVE DE ARA CAPILLO IAM DERIPIAM.

TANGES? AT SCIN QUOMODO? IDUM,
TURBALIO, CURRICULO, ADFERTO DOMO
DUAS CLAVAS.



CLAVAS?

SED PROBAS. PROPERA CITO. EGO
TE HODIE FAXO RECTE ACCEPTUM,
UT DIGNUS ES.



EHEU, SCELESTUS GALEAM IN NAVI
PERDIDI; NUNC MI OPPORTUNA HIC ESSET,
SALVA SI FORET. LICET SALTEM ISTAS MIHI
APPELLARE?

NON LICET. EHEM, OPTIME EDEPOL. ECCUM
CLAVATOR ADVENTIT.

ILLUD QUIDEM POL TINNIMENTUM EST AURIBUS.

AGE, ACCIPE ILLINC ALTERAM CLAVAM, SPARAX.
AGE, ALTER ISTINC, ALTER HINC ADSISTITE.



HEU HERCLE, NE ISTIC FANA MUTANTUR
CITO. IAM HOC HERCULI EST, MODO VE-
NERIS FANUM QUOD FUIT; ITA DUO DES-
TITUIT SIGNA HIC CUM CLAVIS SENEX.
NON HERCLE QUO HINC NUNC GENTIUM
AUFUGIAM SCIO, ITA NUNC MIHI UTRUM-
QUE SAEVIT, ET TERRA ET MARE. PALAESTRA?



QUID VIS?

APAGE, CONTROVERSIA EST;
HAEC QUIDEM PALAESTRA QUAE
RESPONDIT NON MEA EST. HEUS,
AMPELISCA!



MEAMNE ILLE AMICAM LENO
VI, VIOLENTIA DE ARA DERIPERE
VENERIS VOLUIT?

ADMODUM.



ETIAMNE IN ARA TUNC SEDEBANT
MULIERES, QUOM AD ME PROPECTUS
IRE?


IBIDEM NUNC SEDENT.



NUNC POL EGO PERII, PLEU-
SIDIPPUS ECCUM ADEST. CON-
VERRET IAM HIC ME TOTUM
CUM PULVISCULO. SALVE.



SALUTEM NIL MOROR. OPTA OCIUS:
RAPI TE OBTORTO COLLO MAVIS AN
TRAHI? UTRUMVIS OPTA, DUM LICET.



NEUTRUM VOLO. EQUIDEM TIBI ME
DIXERAM PRAESTO FORE APUD
VENERIS FANUM: NUM QUID
MUTO? SUMNE IBI?



IN IURE CAUSAM DICITO; HIC VERBUM SAT
EST. SEQUERE. TU, MEA PALAESTRA ET AMPE-
LISCA, IBIDEM ILICO MANETE, DUM EGO
HUC REDEO.



EQUIDEM SUADEO UT AD NOS
ABEANT POTIUS, DUM RECIPIS.

MOX... "INSULA NIGRA"

Ecquid novi de Titino et Milulo?

Certe! Hodie illi clari amici Latine loquuntur.

Et, si Deo placet, vos quoque "DE INSULA NIGRA", primum librum translatum, ante huius anni finem legere poteritis.

Quare velim vobiscum gaudium et laetitiam quam ex hoc libro accipi communem facere.

Magna gratia et laus tribuenda est sodalibus qui hoc opus tam accurate elaboraverunt, in primis P.C. EICHENSEER, doctori eruditissimo qui ipse ad hanc translationem scientiam suam praebuit, atque etiam amicis nostris Gato LICOPPE et filiae eius Dianae. Non dubium est quin ex hoc labore communi exstet non dicam liber perfectus, attamen operis pretium.

Grammatici et magistri gaudebunt: vivae Latinitatis usus et mos antiquae linguae hic mirabili modo coniunguntur. Vocabularium, in ultimis paginis, verba nova indicat. Constructio autem, semper elegans omnibus regulis artis grammaticae, veteris et novae, oboedit; ornata est sententiis et verbis ut, exempli causa, "bono animo sis" (p. 1).

Haec omnia enodate explicavit Anna Fourcault in "BULLETIN D'INFORMATION de la Fédération des Professeurs de Grec et de Latin", n° 57 nov-dec. 1987. Mihi in animo est alias virtutes huius libri vobis significare. Mendax mihi videtur Italorum proverbium "traduttore, traditore".

Videamus potius!

Canis illius celebris relatoris Titini nomen Latinum a statura parva accepit. Non vocatur "MILUS", sed "MILULUS". Quod nomen etiam fons est verborum iocorum. Sic, p.14, sicut Catullus "illius aetatis" poeta, ("Miselle passer"...), sic Titinus exclamat: "Mi miselle Milule", verba in quibus est quidam phoneticus effectus.

Permulta sunt facete dicta. Sic etiam de hoc cane miro: quodam tempore narrationis sedet sub Vischii Scotici curru cisternino leviter perfuso ex quo fluit "quaedam aqua" satis iucunda cani; omnino ebrius, domino vocanti nihil aliud

respondere potest nisi "sum quidem hic... hic... hic... quid agitur? quid... hic?" (p. 34).

Quod nomen illis vigilibus indagatoribus Dupont et Dupond dare oportuit? Nihil melius quam "Clodius" et "Claudius". Feliciter translatae sunt horum sententiae solitae: cum alter dixerat "res insolita... prorsus insolita", dixit alter: "dixerim hoc, res est imperspicua, prorsus insolita" (p.2), vel etiam "equidem plura dicam" (p. 4 et 6).

Hi vigiles et indagatores qui semper tarde aut serius adveniunt, ubi quid accidit, laudem inopportunam ex latronibus repertis comprehensisque sibi adsciscunt: "Egimus ut Christophorus Columbus... denique ut ille illius aetatis profatus "Veni, vidi, vici".

Loca mihi satis bene descripta diventur, praesertim Latino modo. In quodam deversorio Titinus infeliciter et duobus fratribus indagatoribus et duobus latronibus obviam fit; ibi legi potest haec tabella: "BIBE IUNIPERUM ET ES FELIX" quae sententia mihi satis bene imitata videtur a celeberrimis poculis quae Coloniensi Museo et permultis aliis videnda sunt.


Et quid putandum de "frenum periculi" et "schedulae adulterinae"? Nonne verba ipsa loquuntur?


Pauca, etiam paucissima emendanda videntur.

Nonne melius esset in vocabulario quaedam alia verba addere, sicut "denuo" et "parietinae"? Cur verbum "appellere" tantum in pagina 38 indicatum est, cum iam in pagina 11 usum sit? Forsan erravit faber typographicus qui scribit "omnen" (p.36), "antocinetum" (p.62).

Haec sunt peccata levissima. Non impediunt quin hic liber pro meritis multis omnibus vehementer placeat. Plus etiam dicam: utinam huius operis bonus eventus impellat scriptores ad aliorum facinorum Titini et Miluli translationem faciendam. Ut editores ipsi, L. PIGINI (ELI) et CASTERMAN eodem studio ultiores libros de Titino et Milulo edere velint!

Maria-Luisa DOCQUIER





De Stephano Surigono poeta.

Ante hos quingentos annos, cum in nostris regionibus instituta et mores adhuc omnino mediaevales erant, in Italia iam florebant renatae quas dicunt litterae. Igitur omnibus noti sunt Petrarca, Boccattius, Politianus aliique complures. Multo maior tamen est numerus eorum qui volventibus annis oblivione obducti e memoria hominum evanuerunt, quamquam in suo aevo non sine fama vel favore fuerunt. In quibus et Surigonum Mediolanensem poetam memorare voluerim, quippe qui in domo illustris gentis Sfortiae sollemniter et gloriose "poeta laureatus" creatus sit.

Dolendum est quod scripta eius tam soluto quam adstricto modo exarata magna ex parte decursu annorum evanuerunt. Nam praeter tractatum "de institutione boni viri" quem de pueris erudiendis scripsit nihil nisi diarium eius (ut ita dicam) poeticum ad nostram pervenit aetatem. De hoc fasciculo carminum partim elegiaco numero partim hexametrico scriptorum quaedam vobis excerptissimus.

En 'locutio' quam habuit 'ad Coloniā', cum post aliquot menses sedem ex hac urbe in aliam regionem mutavit:

Quaere novum qui te iam, sancta Colonia, vatem
instruat Aonīs atque repotet aquis,
vel qui Pieridum monstret gymnasia, vel qui
ducat Apollīnea carmina, structa lyra:
Stephanus ille tuus, qui iam sex mensibus actis
flexit equos Phoebi lata per arva suos
et qui non sterili litus versavit aratro,
extra tuos fines iam properanter abit.
Ergo mei dulces iam nunc abeuntis amici,
quos mihi coniunxit nempe sodalis amor,
tempus adest dextrae vestras coniungere dextras
atque sono dulci dicere 'Iamque vale!'

Tales valedictiones poeta noster plurimas scripsit, quia identidem sedem mutare animus vagabundus vel pauperies vel nescioquae alia causa coegit. Neque satis compertum habemus quando Alpes transierit e regione patria Mediolanensi, nec scimus quo terrarum se primum contulerit. Anno tamen millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto vel paulo post fuisse eum Oxoni in urbe Anglica certe scimus. Nam cum Gulielmus quidam Caxton, librorum editor, Boetti scriptum ederet cum versione Anglica a Galfrido illo Chaucer illustrissimo auctore facta Surigonus epitaphium poetae interim mortui fecit quod subiunctum est editioni:

Pierides Musae, si possunt numina fletus
fundere, divinas atque rigare genas,
Galfridi vatis Chaucer crudelia fata
plangite; sit lacrimis abstinuisse nefas.
Vos coluit vivens, at vos celebrate sepultum,
reddatur merito gratia digna viro.
Grande novumque decus Chaucer famamque
paravit:
-Heu, quantum fuerat prisca Britannia rudis!
reddidit insignem maternis versibus, ut iam
aurea splendet, ferrea facta prius.
Si qua bonos tangit pietas, si carmine dignus
carmina qui cecinit tot cumulata modis,
haec sibi marmoreo scribantur verba sepulchro,
haec maneat laudis sarcina summa suae:
'Galfridus Chaucer vates et fama poesis
Maternae hac sacra sum tumulatus humo.'

Haec et alia epitaphia Surigonus scripsit editorum mandatu, sed et ipse opera auctorum aureae aetatis edenda cum commentariis suis curavit. Nam sic habebat unde viveret. Eadem de causa etiam in versibus suis laudes canit procerum atque divitum, dummodo pendere parati essent. Nam 'primum vivere' tunc temporis dura lex erat, etiam poetis Latinis. Haec ipsa causa Surigonum impulit ut semper sedem mutaret, ubique discipulos quaerens et circum se congregans, quos doceret epistulas Latinas scribere et versus facere. Sic anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo scimus eum Lovanium migrasse tironesque in universitate versificationem docuisse. In hoc versiculo discipulos audimus queri de magno pretio lectionum:

A nobis si plus quam donet prona voluntas
exigis, incurris Simoniale malum.
An nescis inopem inter nos cum divite mixtum?
Cur igitur pretium par utriusque facis?

At poeta contra:

Si mihi plus dabitur quam nunc mea prona
voluntas
exigit, incurram Simoniale bonum.
Ad fora dum veniet pauper cum divite mixtus
pro victu pretium num per uterque dabit?

Iisdem vero carminibus multa discimus de vita cottidiana in his regionibus et de hominum consuetudinibus. En quod dicit de moribus Colonensium:

12. "Moris huic patriae est haustus consumere
longos
quaque die et Baccho reddere sacra deo."

In alio carmine legimus de ambulationibus
nocturnis, quas cum amico suo Bernardo Vom Lo
facere solebat Coloniae:

"Una domus quotiens nos binos pavit amantes
confratres posito solaque mensa mero?
Blanda Venus nostras isdem coniunxit amicas
aedibus, in tepido nosque fovere sinu.
Iussit Amor longam quotiens errare per urbem
luna licet densis nubibus atra fuit?
Moreque de patrio longos exhausimus haustus
et manibus nostris alea saepe fuit."

Eodem amico Vom Lo, cum somnum capere non
posset prae dolore infidelis amicae nomine
Aleydis, scripsit haec:

O tanto non digna viro crudelis Aleydis,
(Es mihi nequitia cognita nempe tua)
lapsa cur tantos dederas mihi nocte dolores,
dum tuus est viduo Stephanus ipse toro?
Heu, heu, quid lacrimans cogor componere

versus!

Hoc mihi fit vacui commoditate tori.
Forte domum dum me fors aspera duxit Aleydis,
sperabam tepidos nocte fovere sinus;
Inmemor illa mei, dum nos quoque cena teneret,
surgit et egressa est improba sola domum.
Discite vos, iuvenes, vestras fraudare puellas,
dum quoque nos laqueis fallimur atque

dolis.

Nescio quo rapta est, vel quas procul erret in
oras,

ulterius vultus non aditura meos.
Est, puto, Tartarei manibus sublata tyranni,
non tamen est talis digna rapina viri.
Ergo blanda mihi tenerorum mater amorum
consule, quae brachiis iam sit habenda

meis:

Helschin vel repetam, vel dulcia gaudia Neschin,
vel mihi que Trinchin oscula ferre solet?
Est quoque quae Meschin semper lasciva puella
me vocat et placido flagrat habere sinu.
Sunt aliae quas ferre brevis nunc hora recusat,
que cupiunt lecto me sociare suo.
Invenies aliam, si te fastidit Aleydis,
Stephane. Sint animis ista ferenda tuis.

A tergo litterae:

Hos lege versiculos, o mi dulcissime frater,
hac vigilans musa quos modo nocte dedit,
et si fallacem poteris concernere Aleydim,
fac legat oculis perfida scripta suis.

In alio carmine de Lovaniensibus sic audimus
eum querentem:

Flava Ceres vestro semper succurrit aratro
agricolae votis et favet ipsa plis;
et mitis Bacchi non abest hic massicus humor
collibus ac plenis fertilis uva rubet.
Omnia quae cupido tandem sunt commoda ventri
non absunt. Animi sed tamen usus abest!
Non etenim egregios haec nutrit terra poetas,
pluribus invisus Phoebus ac ipse manet.

Et hoc versus Gritae dedit, puellae Lovaniensi
quae "postulaverat versiculos quos mitteret amico
suo":

Me iuvat in lecto pluvias audire ruentes
et iuvenem nostro destinuisse sinu,
mollia lasciva confingere basia lingua
et tenerum femori conseruisse femur.

Diu eodem loco permanere tamen poeta noster
non potuit. Post aliquot menses anno 1478 Lovanii
actos inde discedere statuit. En locutio ad
discipulos quam in secessione sua valvis affixit:

Si licet ingratum canibus dirumpere funem
et fugiat casses praeda retenta suos,
nos quoque sulphureos Aetnae vitabimus ignes
dum licet, et portu lintea nostra feram.
Est mihi Lovanio sterilis labor. Ergo valet.
Interdum memores sed tamen este mei.

Nescimus quo gentium poeta deinde migraverit,
neque quicquam de reliqua eius vita notum est.

Finem igitur conspectui nostro imponamus
carmenque memoremus quod, etsi in honorem
archiepiscopi Bisuntinensis cuiusdam nomine
Quintini scriptum est, mutatis mutandis tamen et
ad ipsum poetam attinere potest:

Discite, mortales, quam vasta potentia mundi
sit fragilis, nostro carmine si qua fides.
Praesul eram (memini) multis stipatus amicis.
Hei mihi, quid tumulo nunc mea membra

iacent!

Omnis honos sterilisque manet vana gloria
saecli,

cum venit incerto mors properata pede.
Diffugiunt comites, honor omnis, gloria cuncta.
Vae misero! nullis tollitur illa modis.
Non mea divitiis potuerunt fata resolveri.
Qui modo pastor erat vile cadaver adest.

Quintinus mihi nomen erat qui marmore
claudor.

Est via, quisquis ades, haecque sequenda
tibi.

Renildus CAPPELLE Belga.

MOX... "INSULA NIGRA"



Oportet iterum vigeat et floreat in Europa studium linguae Latinae.

(Saturni die 31° m. Oct. a° 1987°, Romae, 4 h 1/2.)

Dominae Domini que,

Mihi semper gaudio est etiam longa itinera facere ad Latinitatis Vivae cultores, adhuc nimis dispersos, conveniendos.

Sed cur hoc faciam fortasse miramini.

Causa est quare, ubique fieri potest, apostolum, ut ita dicam, esse volo nuntii maximi momenti. Pro certo enim habeo nos diversos Europaeos fratres sinceros fieri non posse nisi Latine.

Amo Europam, quae est vera patria mea. Nulla pulchrior regio exstat in toto orbe terrarum, ubi non tantum mira varietate et pulchritudine rerum naturalium fruimur, sed ubi litterae et bellae artes cultum civilem humanitatemque ad fastigium promoverunt.

Amo Bruxellas, ubi natus sum, ubi apte vitam dego.

Amo Belgicam, etiam bipertitam; in ambabus partibus sum domi.

Amo Francogalliam, cuius proprium cultum civilem primum novi et amavi; diutissime me ut verum Francogallum habui.

Germaniam tantum ante paucos annos invenire coepi. Propter causas historicas, mihi diu fuit terra incognita. Nunc paulatim amoenitates et divitias Germanicas invenio, homines melius intellego, qui mihi propiores fiunt. Celerius crevit Germaniae amor, cum invenissem Germanos ad Europam uniendam inter propensiores esse.

De Anglis non despero, quamvis diutissime maximo damno Europae fuerint, cum diligentissime adhibuissent hanc pernotam sententiam Romanam: "Divide et impera". Mox fortasse ille specus submarinus novus umbilicus fiet inter Europaeos insulares et continentales!

Amo longinquiorem Hispaniam, ubi omnes res vehementiores sunt quam alibi, et locorum natura et hominum indoles, necnon amicitia.

Quid dicam de Italia? Iuvenis cum essem, Italiam invisere valde cupiebam. Anno 1950° mihi primum licuit Romam adire. Romam! quae iam tunc temporis mihi videbatur esse urbs meorum maiorum! Et hoc iure et merito censebam. Nam inter antiquos, soli Romani externos populos, velut per adoptionem, adsciri curabant.

In his omnibus Europae regionibus, quas saepius percurro, semper autoraeda vectus, me bene sentio. Omnia artificiosa monumenta mihi sunt plane intellegibilia, et, ut ita dicam, familiaria. Singulis in regionibus percipiuntur ceterarum regionum affectiones, unde concipitur unitas cultus civilis Europaei. Cui unitati signo sunt illae innumerabiles incisae inscriptiones Latinae, quibus, ubique Europae, commemorantur res maioris momenti.

Infeliciter res aliter se habent statim ac colloqui cupio cum his Europaeis, qui una ex parte mihi sunt tam propinqui, altera tamen divisi linguarum diversarum cancellis. Plerisque in regionibus tantum balbutire possum ad necessaria petenda. V.g. priorem huius symposii partem participare non potui, cum linguam Italianam non satis intellegerem.

Quae linguistica infirmitas quanti detrimenti Europaeis esset, plerique nostrorum aequalium nondum plane sibi finxerunt.

Ineunte mense Octobri, Francogalliae praeses, Franciscus Mitterrand, in Belgium venit, ad novum annum academicum inaugurandum in Collegio Europae, quod primum inter Europaea instituta, Brugis conditum est anno undequingagesimo. Ibi praeses Mitterrand commemoravit haec Iohannis Monnet verba: "Si mihi rursus Europam cogere incipiendum esset, a cultura fovenda inciperem."

Quae verba commentatus est Franciscus Mitterrand, dicens "nihil valebit communitas institutorum neque oeconomiae, nisi floreat cultura Europaea". Quare Europaeis suadet ut magnum propositum audivisificum una instituant. V.g., anno 1987°, Europaeis 125 milia horarum programmatum televisificorum necessaria erunt, quarum tantum quintam partem a sibi ipsis conficiuntur. Cum in mentes formandas maximum sit hodie televisionis momentum, non dubium est quin identitas Europaea mox dissolvatur atque evanescat, nisi Europaei firmum consilium instituant rerum culturalium augendarum.

Hac in re maxime prodesse possunt ei qui culturam et linguas classicas docent, cum sint custodes pretiosissimi necnon unici communis thesauri Europaeorum. Nolint ergo spem deponere. Tempus veniet ubi hoc thesaurum iterum invenietur et pro necessario habebitur. Oportet tamen, ne res nimis differatur, thesaurum ingeniose atque modo hodierno exponatur.

Sed satis non est nostros communes fontes classicos colere ad animam Europaeam e somno suscitandam. Restat enim diversarum linguarum impedimentum. Iam in omnibus materiis scientificis Americani imponunt suam linguam, nova vocabula suo more fingunt, suam vitae rationem (American way of life) insinuant. Id quod non accidit propter quandam Europaeorum mentis debilitatem, sed quia nostris temporibus parvae areae linguisticae, quales in Europaveniuntur, impetum oeconomicum multo frequentioris areae Americanae sustinere non possunt. Sunt qui dicant: discamus linguam Anglo-americanam! Et certe Europaei qui hodie in negotiis vel in rebus scientificis versantur, hac lingua Americana, vi aut voluntate, utuntur.

Facillor enim videtur haec via, quae ad servitudinem ducit.

Sed soli mali educatores favent facilitati. Etsi difficillius videatur sermo Latinus, qui diutissime, supra linguas vernaculas, nobis fuit communis, oportet tamen strenue operam demus ad eum recuperandum, cum solus Europaei ingeni singularitatem servare possit.

Infeliciter regentibus olim profuit atque adhuc prodest gentium diversitates linguisticae fovere et augere, ut singularum regionum dominium sibi reservent. Quare ei qui ad Europam uniendam operam dant semper in mente hoc habeant oportet: ad nationalismos Europaeos fovendos neglegenda et spernenda est lingua Latina. E contrario, ad Europam iterum uniendam lingua Latina est imprimis colenda, adhibenda, vulganda et quam latissime diffundenda.

Fortasse sunt inter vos qui dubitent sitne lingua Latina instrumentum aptum ad communicationem hodiernam.

sequitur p. 14

De studiis Latinis in universitatibus Finno-Scandinavum obligatoriis.

Studia Latina in Finnia non sunt hodie iuvenibus necessaria, antequam universitatem ingrediantur, sed ad lauream obtinendam (i.e. gradum et titulum philosophiae sive artium liberalium magistri) philologiae studentes debent examine Latino probari.

1) Si iam in schola per triennium Latinam linguam didicerunt, studiis Latinis obligatoriis in universitate liberantur.

2) Etiam aestivo tempore in quibusdam urbibus maioribus (Turku, Helsinki) cursus linguae Latinae cum examinibus instituuntur. Horum participes examine Latino approbati item studiis Latinis universitariis liberantur.

3) Ad studia Latina seriora nullum est spatium temporis impositum, nisi quod ante lauream debent fieri.

4) Cursus supra (2) dicti fiunt in "universitatibus aestivis", ut apud nos nominantur. Hae "universitates" tantum aestivo tempore operantur et sunt temporariae. Administratores sunt magistratus communales, professores autem aliique magistri docentes plerumque homines academici. Disciplinae docendae sunt variae secundum locum. Lingua Latina hodie in duabus tantum urbibus aestate docetur.

5) Philologiae studentibus obligatorium pensum Latinum est cursus 56 lectionum. Plerique magistri utuntur libris, qui intitulantur *Elementa linguae Latinae, Ad Fontes I, Ars grammatica*. Ex ELL 50 fere capitula legunt, ex grammatica totam morphologiam et passim syntaxin.

6) In examine, quod cursu finito organizatur, quaestionibus grammaticalibus debent participes respondere, textus simplices in Finnicum vertere, nomina declinare, verba coniugare, etc.

7) Methodi docendi secundum magistros differunt. Plerumque tamen discipuli textum Latinum, cui iam

domi studuerunt, coram magistro debent in patrium sermonem vertere. Multa fiunt etiam exercitia grammaticalia. Sed et res ad culturam (antiquitates, litterarum historiam, historiam generalem) et linguisticam et philologiam pertinentes in lectionibus Latinis locum obtinent.

8) Ea quae supra scripsi, ad studia Latina obligatoria philologorum pertinent. Philologi, de quibus loquor, sunt linguis et litteris peregrinis, i.e. Anglicis, Theodiscis, Slavicis, Romanicis etc. studentes universitarii. Simul docentur circ. 30 studentes.

9) Etiam theologis studia Latina ad minimum 56 lectionum sunt obligatoria. Illi legunt librum "Deliciae clericorum" et Artem grammaticam (ut supra in 5). Praeterea theologis est alius cursus Latinus eiusdem longitudinis, ubi textus Christiani ex anthologia "Ramus virens" explicantur (circ. 40 paginas). Hic posterior cursus non est omnibus obligatorius, sed cum Hebraico eiusdem generis cursu alternativus.

10) Multi sunt praeterea cursus linguae Latinae voluntarii, etiam medicis, veterinariis, iuristis. Sex sunt in Finnia universitates, in quibus professores vel lectores Latinam docent. In illis fiunt varii cursus, quos omnes facultatis humanisticae (sive artium sive philosophiae, varie enim nuncupantur) studentes participare possunt, et cum omnibus examinibus humanisticis Latina studia possunt voluntarie coniungi.

Denique addendum est his temporibus in Finno-Scandinavum universitatibus multas et factas esse et fieri examinum mutationes. Status et condicio Latini obligatorii sunt, ut narraui, quamquam inter universitates certae sunt differentiae, quas explicare accuratius longum est.

Thomas PEKKANEN - Finno-Scand.

sequitur p. 13

De hac re ante decem annos ipse etiam valde dubitavi. Mihi tunc feliciter contigit egregium magistrum invenire, Patrem Caelestem Eichenseer, qui me sermonem Latinum vivum docuit atque suo exemplo mihi facile persuasit linguam Latinam aptissimam esse ad omnes res, etiam recentissimas, dilucide explicandas.

Eo accedit quod Pater Caelestis Francogallice nescit neque ego Theodisce, unde fit ut semper inter nos lingua Latina utamur. Frequentissimum commercium epistulare iam diu habemus, saepissime convenimus, saepius itinera una facimus, ita ut veri fratres Latini facti simus. Longum est de ceteris loqui quibuscum tantum Latine consuetudinem iunxi.

Saepissime in seminariis, quae participavi, animadverti participes diversarum nationum, cum Latine inter se loquuntur, solidum gregem fieri et novi generis.

Cum vernaculo sermone utimur, nationales et regionales singularitates argentur atque impediunt

ne communicemus.

Cum Latino sermone utimur, non solum communicare inter gentes possumus, sed totus grex locupletatur singulorum singularitatibus.

Quod miraculum, Europae nostrae tam utile, oportet divulgemus et propagemus.

Quam rem curare possunt imprimis ei qui linguae Latinae docendae munere funguntur. Iam noverunt subtiliores et sublimiores linguae aspectus; eis tamen plerumque deest usus humilis cottidianusque.

Quare eis suadere ausim: "Amplius discite linguam, quam docetis". Vobis erit et gaudium et emolumento. Iam non videbimini artes fossiles docere, discipuli vestri mirabuntur, allicientur et imitabuntur.

Mutatis condicionibus, mutanda institutio.

DIXI.

De ludis Coloniae Ulpiae Traianae, anno 1987, editis.

Iuxta urbem quae nunc vocatur Xanten, urbs tranquilla queta vetus et pulchra, pulchris domibus pulchra ecclesia cathedrali ornata, inventa sunt fundamenta et rudera antiquae Coloniae Ulpiae Traianae. Quae Colonia nunc "hortum archaeologicum" facta est. Quid hoc sibi vult? Hoc in loco volunt archaeologi, quasi exemplar antiquitatis vivae, totam veterem urbem Traianam reaedificare ut aequales nostri possint videre sentire experiri quid fuerit vita antiqua, et nisi deficeret aerarium publicum iam tota urbs reaedificata esset. Nunc tamen iam magnam partem refectas aspicere possumus moenia, templum, amphitheatrum, portam magnam, deversorium, portiones domorum.

Atqui, ut scribebat recens Titus Marius Alexa in Vocis Latinae commentariis (fasc. 87, p. 109): "quod autem attinet ad Latinitatem vivam, quo loco, qua occasione multitudini melius potest praebere atque ostendi? Quid obstat quominus Latinizantes conveniant Coloniam Ulpianam Traianam inter Ludos Traianos, ut coram ceteris congregatis linguam latinam esse vivam profiteantur?"

Haec Titi Mari Alexae verba non surdorum surdastrorumve aures tetigerunt, occasione enim data ludorum romanorum, saturni diei 26^m. septembris 1987, dominicique diei 27ⁱ, huc fideles latinizantes advenerunt, ex Batavia, Belgica, Germania et inter antiqua monumenta, antiqua semperque vivida nostra lingua latina resonavit.

Multa per ludos fuerunt visenda spectacula, multaeque actuositates multis in locis horti archaeologici.

Inter varia spectacula nobis multum placuit Mostellariam latine ante scalas templi actam spectare, a discipulis gymnasii Sancti Christophori optime latinissimeque actam.

Alia eheu paene omnia spectacula fuere theotisce acta. Hoc saturni die paene decem varia spectacula ad antiquitatem referentia acta sunt ab hora 13^a usque ad horam 18^{am}! Dominico die, tot fuerunt spectacula! Sed hoc die res magnae, magnique momenti ponderisque pro latinitate refocillanda expergefacienda a nostris latinizantibus sunt gestae!

Ab hora enim 13,30 in oeco peramplo deversorii romani, bini sodales circuli lupiani, more antiquo vestiti, Inga Pessarra-Grimm atque Titus Marius Alexa allegerunt ad latinitatem vivam multos spectatores, modoque colloquiali demonstraverunt omnibus quid esset latinitas viva. Multi auditores auribus attentis oculisque admiratione micantibus, quasi obstupefacti latinos collocutores exaudiverunt! Fuit actio perutilis ad latinitatem vivam propagandam sed etiam (quod perutilis est) nova associetas L.U.P.A. (Latinitati Vivae Provehendae Associetas) iure condita est post haec colloquia coram notario publico Hassone Geissler a septem sodalibus, coronis hederaceis coronatis. Fuit igitur dies albo lapillo notandus atque vere fructifer. Iteremus verba Titi Mari: Vivat Latinitas viva! Vivant Ludi Traiani! Vivat Latinitas viva inter Ludos Traianos!

Alanus DIVUTIUS Bruxellensis.

Lingua Latina

Tu, potens, metuenda, tu
magna et imperiosa, me
reddis ingenuum et plum,
o Latina loquela, tu
lex et ars mihi pura.

Non ducis tonitrum in foro,
simplicem repetis mihi
musicam; attonitum meum
vincis ingenium novae
syllabis pietatis.

Me doces sonitu sacro
arborum fremitus leves
et maris melos intimum,
siderum harmoniam vagam
noctis in patula umbra.

Audio omnia corda quae,
ut cor istud, amant diem,
corda quae, velut hoc meum,
fient diem fugientem ab his
dulce olentibus oris.

Roma, amorem animae meae
concinis. Celebratio
gloriae optima amor mihi est.
Roma-Amor, mihi plus vales
servitutine mundi.

Iosephus TUSIANI
Neo-Eboracensis.

Phonocaséta téxtuum quorúndam euangelicórum



Tres phonocasétae euangélicae

Integrum euangélium secundum Marcum duábus prióribus harum trium phonocasetárum Latinárum continétur, tertiá pericopae váriae euangélii secúndum Mattháeum et secúndum Lucam et secúndum Iohánnem, in quibus pártibus selectis de nativitate Iesu refértur, de adventu magórum, de fuga in Aegýptum, de Iesu puero intra templum Hierosolymítanum remoráto, de Christi passióne, de oratione Dominica, dénique de Pauli apostoli monitióne doctrináli, quae est de resurrectione mortuórum.

Haec salutis aetérnae per Salvatórem parátac et effectac et oblátac verba a Doctóre Maximiliáno Mangold, académico phonétices professóre praeclarissimo Saravipontáno, proferúntur tam singulárum vocálium mensúris diligénter observátis quam consonántium Latinárum proprietátibus accuráte exhibitis.

Ipse autem textus ex Vulgátac Hieronymiánac editióne recentissimá Stulgárdiac (1983/1984) confectá depróptus est, étiam Neo-Vulgátac (1986) et Italá (sive Vétère Latiná [versión]) (1938/70) continéter respectis.

Dénique haec harum trium phonocasetárum verba qui complúries — fortásse etiam autocinétó vehens — auscultáverit et audiverit, praeter salvatiónis nuntium tantam verbórum cópiam sibi comparábit memoriáque mandábit, quibus cunetae condiciónes vitae sortisque humanae aliquátenuis tangúntur, ut eidem accéssus ad ália scripta Latina et ad ipsum usum linguae Latinae multo faciliór fiat. Insuper áudiens habet, quod conveniénter iteret perutilitérque imitétur. Haec sunt huius phonocasetae emolumenta singulária et eximia, quae erant in votis.

Unaquáque harum trium phonocasetárum (ana 95/96 minutárum), quae non singillátim véneunt, constat DM 12,—.

Libellus textuális (VI + 86 paginárum) constat DM 9,60.

Societas Latina

Inscriptio cursualis: Universitat - FR 6.3, D-6600 Saarbrücken 11

Nuntii Breves...

De Domino Episcopo Fabro (Lefebvre).

Cum Paula Marongiu in Melissa 18 spriserit Dominum Fabrum esse schismaticum, Iohannes GRANATA vehementer rescribit: "Dominus Marcellus Faber (Gallice "Lefebvre") schismaticus non est, neque communitatem schismaticam condidit, contra scriptum Dominae Paulae Marongiu, quod in fasciculo XVIII actorum quibus titulus "Melissa" in pagina XII legitur. Iohannes Granata, 15 rue de Provence, F 13090 Aix-en-Provence (latine Aquae Sextiae) scripsit. Edite, quaeso, notam hanc meam: urgens est. Calumnia haec in actis diurnis seriis tantum temporis durare non potest!"

Hymnus Latinistarum a Vidone Angelino composito.

Hoc Vido Angelino ad nos misit et Romae proposuit ut fieret hymnus Latinistarum. Quid censeat lectores?

Chorus Latinistarum:

Ave, Latinitas perennis,
salve, miranda Latinitas!
Mentes nostras tibi dicamus
viva ut fias iterum
inter omnes Europae gentes,
vinculum pacis validum.

Chorus Europaeorum:

Mater, tu
in unitatem strinxisti
iam nos.
Ergo nunc
renova miraculum
inter nos.

Vivat Latinitas!

q Angelino

Propere

pa - cis vali - dum Latinitas!

Ma - ter tu in unitatem strinxisti iam

nos er - go nunc re - nova miraculum inter nos inter nos Ave La - ti - ni - tas